

rium occultandum, aut in forma baptismi omittendum. Talis ergo dispensatio, nec necessaria fuit, nec expediens; non est ergo voluntarie asserenda, cum neque in Scriptura sacra, neque ex aliquo Concilio, aut traditione colligatur.

13. *Decretum Nicolai Papæ declaratur.* — *Objectio.* — *Responsio.* — Ad Decretum Nicolai difficile est respondere. Nam quod D. Thomas et alii dicunt de dispensatione, duplici ex capite rejectum est, quia et nunquam fuit talis dispensatio Apostolis concessa, et quamvis fuisset, non durasset usque ad Nicolai tempora, qui octingentis annis fuit post Christum; alioqui pari ratione dici posset, nunc etiam durare. Præsertim, quia Pontifex suam sententiam fundat in dicto Ambrosii, quem ostendimus, non fundasse sententiam suam in dispensatione. Secundo, non minus displicet, quod alii dicunt, Pontificem loqui in casu necessitatis, tum quia in eo casu, in quo Pontifex loquitur, nulla erat necessitas baptizandi in solo nomine Christi; imo vix fingi potest, quod in aliquo casu interveniat talis necessitas, nisi forte ex ignorantia ministri baptizantis; tum præcipue, quia propter nullam necessitatem potest variari essentialis materia, vel forma sacramenti, ut supra ostensum est. Alii dicunt, Nicolaum non affirmare huiusmodi baptismum esse validum, sed non esse iterandum, et interpretantur non esse iterandum absolute, quia saltem est res dubia, iterandum autem esse sub conditione. Sed hoc non placet, quia Pontifex ibidem dicit, baptismum datum a Judæo in nomine Trinitatis non esse iterandum. Quod intelligit tam absolute, quam sub conditione, unde illis verbis simpliciter docet, talem baptismum esse validum; at vero eodem modo loquitur de baptismo dato in nomine Christi. Alii ergo ita exponunt Nicolaum, sicut nos interpretati sumus Actuum testimonia, scilicet, ut non loquatur de forma, in qua, expresso nomine Christi, omittuntur personæ Patris, et Spiritus Sancti, sed de illa, in qua secunda persona nominatur sub nomine Christi, aliis non omissis. Cum vero dicit Pontifex, tantum in nomine Christi, illa dictio exclusiva, tantum, aiunt non excludere alias personas, sed Filii expressam nominationem, ita ut solum dicatur, In nomine Patris, et Christi, et Spiritus Sancti. Quæ expositio attribui etiam potest Ambrosio, et ad eam potest ratio ejus accommodari, quod scilicet, tantumdem sit nominare secundam

personam sub nomine Christi, ac sub nomine Filii, quia etiam in nomine Christi dicatur relatio ad alias personas. Et idem dici potest ad Bedam super Acta, præsertim cum alio loco veram sententiam docuerit, ut vidimus. Atque hæc expositio pia est, et probabilis, nonnihil tamen videtur coacta. Unde valde dubito, an hæc fuerit mens Nicolai et Ambrosii. An vero id, quod in ea asseritur, in rigore verum sit, dicam sequenti sectione. Quamobrem alii simpliciter confitentur, Pontificem ut privatum Doctorem falsæ opinioni adhæsisse, quam sententiam sequitur Cano, loco supra citato, quia in eo decreto unum est, de quo Pontifex interrogatus directe respondet, atque definit; aliud vero, quod obiter dicit absque Pontificia auctoritate ac definitione. Primum illud est, an baptismus datus a Judæo validus sit, ad quod Pontifex affirmative respondet; ejusque definitio certa est. Secundo vero obiter dixit Pontifex huiusmodi baptismum datum tantum in nomine Christi validum esse, et in hoc secutus est sententiam Ambrosii, existimavitque testimonia Actuum Apostolorum ita esse intelligenda, et locutus est ut privatus Doctor, et sententiam minus probabilem secutus est. Dices: contraria sententia definita fuerat a Pelagio et Zacharia Pontificibus, ut visum est ex cap. Si revera, cap. In Synodo, cap. Multi, de Consecrat., dist. 4. Quomodo ergo potuit Nicolaus, etiam ut privatus Doctor, contrariæ sententiæ adhærere? Respondetur, eos Pontifices de questione hac nihil ex professo, ac de fide definivisse, quia Epistolæ illæ, ex quibus Gratianus refert se sumpsisse illa Decreta, non leguntur integræ in tomis Conciliorum; ex illis autem Decretis, ut sunt apud Gratianum, habemus quidem eos Pontifices docuisse, necessariam esse trium personarum invocationem, et non satis esse Christi, vel unius personæ appellationem; non vero satis constat, eos Pontificia auctoritate definivisse, hanc invocationem debere esse explicitam, et non satis esse implicite contentam in nomine Christi. Atque hæc ultima responsio potest in rigore sustineri; proxime vero præcedens rejicienda omnino non est, quia pietati est consentanea. Et per hæc responsum est ad alios Patres. Sententia vero ibi citata ex Bernardo durior est, ac difficilior. Nam sine dubio hæc forma, *Baptizo te in nomine Dei, et sanctæ Crucis*, nullo modo est sufficiens, nisi per Deum intelligamus, Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum, ut Marsilius exponit.

Addendum vero est non sufficere, ut ab audientibus intelligatur, nisi in ipsa forma exprimat, ut satis dictum ac probatum est.

SECTIO IV.

Utrum necessarium sit in forma baptismi exprimere tres personas divinas sub nominibus Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.

1. *Cajetani sententia.* — *Probatur.* — *Confirmatur primo.* — *Confirmatur secundo.* — *Confirmatur tertio.* — Hæc questio præcipue tractari solet de hac forma: *Ego te baptizo in nomine Genitoris, Geniti, et Spirati*, seu procedentis ab utroque, quam esse sufficientem docuit Cajetanus hic, sequens Gloss., in cap. Multi, de Consecrat., dist. 4, quæ dicit has voces sufficere: *In nomine Genitoris, et Nati, et sancti Flaminis*, addit tamen non sufficere, si dicat: *Baptizo te in nomine trium personarum*, quod fortasse Cajetan. non admitteret, ut videbimus; opinionem Cajetani sequutus est Vict., ut habetur in Summa ejus, § 44 de Baptismo. Fundamentum hujus sententiæ, est quia essentialis forma sacramenti non pendet ex materialibus verbis, ut supra visum est; sed ex significatione eorum. Unde omnes voces ejusdem, seu æquipollentis significationis sufficiunt ad substantiam, vel essentialiam sacramenti constituendam; sed illæ voces, Genitor, Genitus, etc., in significatione æquivalent his, Pater, et Filius; ergo sufficiunt ad essentialiam baptismi. Patet consequentia, quia licet formale significatum illarum vocum videatur diversum, nam hæc significant de formali relationes, illæ vero origines, tamen hæc diversitas nihil referre videtur, quia ex usu easdem omnino res, et personas significant, et eisdem conceptibus subordinantur. Et hic usus vocum magis est attendendus, quam formalis illa et rigorosa significatio; sicut etiam voces illæ Pater, et Filius, in rigore non significant de formali Paternitatem, vel Filiationem divinam, sed paternitatem et filiationem simpliciter; tamen ex usu accommodatæ sunt ad illam significationem. Et confirmatur primo: nam Concilium Florentinum definit, illam formam esse ad baptismum sufficientem, in qua exprimitur actus ministri, cum sanctæ Trinitatis invocatione, et non addit, necessarium esse hanc invocationem fieri illis vocibus: Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus. Sed sub illis nominibus, Genitoris, etc., vere et proprie

invocatur et laudatur Trinitas, ut patet, cum Ecclesia canit: *Genitori, Genitoque laus, et jubilatio*; et si quis confiteatur, vel credat Trinitatis mysterium illis vocibus et conceptibus expressum, sine dubio satisfacit præcepto credendi vel confitendi Trinitatem: ergo, etc. Confirmatur secundo: nam si fieret mutatio similis in una tantum persona, validum esset sacramentum; ergo idem est, si fiat in omnibus. Patet consequentia, quia tam essentialis est invocatio singularum personarum, quam simul omnium. Antecedens vero patet exemplis receptis. Primum illud est, quod in præcedenti sectione tangebamus de hac forma: *Baptizo te in nomine Patris, Christi, vel Jesu Christi, et Spiritus Sancti*. Aliud est, si loco Filii, dicatur, Verbi. Item si loco nominis Spiritus Sancti, dicas Paracleti, aut Doni. Tandem confirmatur, quia in huiusmodi mutationibus formarum sacramentalium, ut accidentales et non substantiales censeantur, nunquam attendimus ad rigorosam, ac metaphysicam formalitatem significationis; sed ad rem significatam, et ad moralem et practicum modum concipiendi. Et hac ratione censeantur æquivalentia hæc verba: *Baptizo, abluo, tingo*, et similiter hæc: *Absolvo et remitto*; cum tamen formalia significata in rigore sint diversa; ergo idem erit in præsentia.

2. *Secunda et communis sententia.* — *Bonaventuræ ratio.* — *Ratio D. Thomæ.* — *Confirmatur.* — Secunda sententia et communis est, necessarium esse exprimere tres personas nominibus Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, et mutationem illam, in nomen Genitoris, Geniti, et Spirati, et quamcumque similem, esse contra substantiam sacramenti. Ita sentit D. Thomas hic, art. 5, ad 7, et in 4, dist. 3, art. 2, quæstiunc. 2, ad 5; Bonavent., art. 2, quæst. 3; Scot., quæst. 2, art. 3; Richard., art. 2, quæst. 3; Paludan., quæst. 1, art. 3, num. 16; Durand., quæst. 2; Gabriel., art. 2, conclus. 4, et art. 1, dub. 1, qui dicit, Theologos omnes, Jurisperitos, et Summistas in hanc sententiam convenire; eandem tenet Alexander Alens., 4 part., quæst. 13, membr. 3, art. 3, § 5; et Altisiodor, lib. 3 Sum., tract. 3, cap. 4, quæst. 4; Marsil., in 4, quæst. 3, art. 4; Bonavent. reddit rationem, quia mutantur nomina principalia in non principalia; quod magis explicans Scotus dicit, nomine Patris, Filii, et Spiritus Sancti, significari proprias personarum proprietates, atque adeo personas ipsas; nomine vero Ge-

nitoris, etc., significari actus nationales, non vero personas, sed solum connotari illas. Hæc vero rationes non videntur cogere, tum quia vix potest reddi ratio, cur nomen Filii sit principalius, quam nomen Verbi; aut nomen Patris, quam nomen Genitoris. Tum etiam, quia ad substantiam sacramenti non videtur referre, quod nomen sit magis vel minus principale, dummodo eandem omnino rem significet. In hoc autem non videtur vera differentia, quam Scotus assignat, quia Genitor revera significat personam generantem, pro qua etiam supponit; quod si fiat vis in significato formali, aut connotato, etiam Pater ex vi suæ significationis formaliter significat Paternitatem, et connotat Personam. Aliam assignat rationem D. Thomas, quia sicut in baptismo, inquit, ex parte materiæ determinata est aqua, quia ejus usus est communissimus, facilis et aptissimus ad significationem hujus sacramenti, ita ex parte formæ determinatæ sunt illæ voces, quæ facilius et aptius personas divinas significant, quæque futuræ erant in usu frequentiori Ecclesiæ ad Trinitatem invocandam, ejusque fidem profitendam. Hujusmodi autem sunt illa, Pater, Filius, et Spiritus Sanctus, et quæ in unaquaque lingua his vocibus respondent. Itaque videtur D. Thomas hoc referre in specialem Christi institutionem. Quæ præter adductam congruentiam fundari potest in verbis Christi, adjuncto usu Ecclesiæ, et interpretatione Patrum, quos supra retulimus, quibus addi potest Epiphanius, hæres. 73, in principio, ubi significat, voces Geniti et Ingeniti, non valere ad baptismum: *Non dixit, inquit, baptizantes eos in nomine Geniti, et Ingeniti, sed in nomine Patris, et Filii; et post multa dicit, ingenitum nondum significare patris intelligentiam, neque Genitum significare proprie filium, quia ad omnia genita communem facit intelligentiam. Non enim omne quod generatur, est filius, quamvis omnis filius sit genitus, et eadem ratione genitor, seu generans latius patet, quam pater.* Quare tandem concludit, nos non in Genito, et Ingenito, sed in Patre, et Filio esse baptizatos. Et hoc ipsum videtur innuere Athanasius, serm. 2, contra Arrianum, circa medium, cum inquit: *Non jussit nos baptizare in nomine Geniti, et Ingeniti, sed in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Et confirmari potest hæc sententia, quia alias sequitur, formam esse validam, etiamsi dicatur, In nomine trium personarum, vel, In nomine primæ, et se-

cundæ, et tertiæ personæ, vel, In nomine Genitoris, et imaginis ejus seu splendoris gloriæ ejus, et Doni vel Flamini, et similibus, quia in his omnibus licet verba sint diversa, tamen reipsa et juxta communem usum idem significant, et easdem divinas personas faciunt concipere, et sufficere possunt ad fidem profitendam, et ad Trinitatem invocandam, vel laudandam. Quæ omnia, ut existimo, Cajetanus concederet. Videntur tamen valde absurda et contra communem sensum.

3. *Regula prima. — Objectio. — Responsio.* — In hac re primum existimo certum, omnem illam mutationem, per quam expressa invocatio Trinitatis mutatur in implicitam, vel confusam, esse contra veritatem et substantiam hujus formæ; in quo non censeo probabilem esse opinionem Cajetani. Unde si quis dicat: *Baptizo te in nomine Trinitatis*, forma est insufficientis. Item si dicat: *Baptizo te in nomine Trini et Unius*, et: *In nomine trium Personarum*, et: *In nomine Primæ, et Secundæ, et Tertiæ Personæ*, quia in his omnibus modis, et similibus, non satis explicatur mysterium Trinitatis. Nam licet explicetur numerus personarum, tamen valde confuse, et nullo modo explicantur proprietates personales, nec emanatio unius personæ ab alia. Atque idem censeo, si mutatio fiat in voces omnino appropriatas et non proprias, vel etiam in valde metaphoricæ, ut si dicas: *In nomine omnipotentis, Sapientis, et Doni seu Flamini*; et idem est de similibus, quia talis invocatio Trinitatis redditur valde obscura, et aliena a communi usu fidelium. Item, quia per illas voces non significatur id, quod est proprium singularum personarum, quamvis ex usu intelligentium, præcipue sapientium, contingat per illas voces concipi personas ipsas. Dices: etiam illa vox, Spiritus Sanctus, non est propria, sed appropriata tertiæ personæ; nam in rigore etiam Pater, et Filius, sunt Spiritus, et Sancti. Respondetur, jam illam vocem esse impositam ad significandam proprietatem tertiæ personæ, scilicet, spirationem passivam, quam de formali significat, sub qua ratione hæc vox, quæ jam æquivoca dici potest, non convenit Patri, aut Filio. Atque ita non est appropriata, sed propria. Ex quibus etiam intelligitur, quando Concilium Florentinum dixit, necessariam esse, in hac forma, Trinitatis invocationem, quamvis in cortice verborum generaliter loquatur, tamen re vera ipsum loqui de illa invocatione, quæ est in usu

Ecclesiæ, quamque paulo antea commemoraverat, veram baptismi formam assignando; hunc enim sensum et contextus ipse præ se fert, et ratio ostendit, quia alioqui quælibet invocatio Trinitatis esset sufficiens, quod falsum esse ostendimus.

4. *Secunda regula.* — Secundo, quando mutatio solum fit in diversa nomina propria personarum, manente expressa invocatione earum, res est magis dubia, et utrumque probabile, ut fatentur hic Soto, et alii recentiores expositores D. Thomæ. Aliud autem est in hac re practice loqui, aliud vero speculative. Practice enim certum est, esse grave peccatum hujusmodi mutationem facere, tum propter verba Christi et consuetudinem Ecclesiæ; tum propter scandalum; tum etiam propterea quod redditur dubium sacramentum. Nam etiam si demus, Cajetani opinionem esse probabilem, est tamen incerta; et si fortasse falsa sit, sacramentum in re erit nullum. Quapropter certum etiam censeo, baptismum datum sub illa forma: *In nomine Genitoris, Geniti*, etc., iterandum esse, saltem sub conditione, quia revera esse valde dubius. At vero speculative potest opinio Cajetani probabiliter teneri; habet enim fundamenta non parum urgentia et apparentia. Nihilominus discedendum non est a communi sententia, quæ in materia præcipue sacramentorum, multum ponderis habet. Nam tota res pendet ex institutione, quam usus et traditio Ecclesiæ declarat; et hujusmodi Ecclesiæ sensus ex antiquis Patribus et sapientibus Doctoribus petendus est. Est ergo valde verisimile, hanc fuisse Christi institutionem, ut simplex professio fidei, quæ in baptismo fit, et omnibus etiam rudioribus, et simplicioribus communis esse debet, fieret etiam simplicioribus verbis, et communibus omnibus, et propriis divinas personas significantibus. Et ideo mutatio in his vocibus, vel omnibus, vel aliqua earum, substantialis esse censetur. Ex quo fundamento facile est omnia Cajetani argumenta diluere.

ARTICULUS VII.

Utrum immersio in aqua sit de necessitate baptismi (4, d. 3, art. 4, quæst. 1).

1. *Ad septimum sic proceditur. Videtur, quod immersio in aqua sit de necessitate baptismi. Ut enim dicitur ad Ephes., cap. 4, una fides, unum baptisma. Sed apud multos com-*

munis modus baptizandi est per immersionem. Ergo videtur, quod non possit esse baptismus sine immersione.

2. *Præterea, Apostolus dicit Roman. 6: Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus, consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem. Sed hoc fit per immersionem, dicit enim Chrysost. (Homil. 24, post. med.) super illud Joan. 3: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, etc.: Sicut in quodam sepulchro in aqua submergentibus nobis capita, vetus homo sepelitur, et submersus deorsum occultatur, deinde novus rursus ascendit. Ergo videtur, quod immersio sit de necessitate baptismi.*

3. *Præterea, si sine immersione totius corporis posset fieri baptismus, sequeretur, quod pari ratione sufficeret quamlibet partem aqua perfundi. Sed hoc videtur inconveniens, quia originale peccatum, contra quod præcipue datur baptismus, non est in una tantum corporis parte. Ergo videtur, quod requiratur immersio ad baptismum, et non sufficiat sola aspersio.*

Sed contra est, quod Hebr. 10 dicitur: Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei aspersi corda a conscientia mala, et abluti corpus aqua munda.

Respondeo dicendum, quod aqua assumitur in sacramento baptismi, ad usum ablutionis corporalis, per quam significatur interior ablutio peccatorum. Ablutio autem fieri potest per aquam, non solum per modum immersionis, sed etiam per modum aspersionis vel effusionis. Et ideo quamvis tutius sit baptizare per modum immersionis (quia hoc habet communior usus) potest tamen fieri baptismus per modum aspersionis, vel etiam per modum effusionis, secundum illud Ezech. 36: Effundam super vos aquam mundam, sicut beatus Laurentius legitur baptizasse. Et præcipue propter necessitatem, vel quia est magna multitudo baptizandorum, ut patet Actorum 2 et 4, ubi dicitur, quod crediderunt una die tria millia, et alia die quinque millia; quandoque autem potest imminere necessitas propter paucitatem aquæ; vel propter debilitatem ministri, qui non potest sustentare baptizandum; vel propter debilitatem baptizandi, cui posset imminere periculum mortis ex immersione. Et ideo dicendum est, quod immersio non est de necessitate baptismi.

Ad 1 ergo dicendum, quod ea quæ sunt per accidens, non variant substantiam rei. Per se